

clesiæ traditiones, quibus veneratio, culturaque sanctorum docetur recipimus, et veneramur, etc. Impossibile est autem culturam, et venerationem sanctorum exhibere, nisi pro sanctis eos proponere, et declarare posset Ecclesia, alias nullum colere posset, si nullum, ut colendum proponere, et declarare posset. Unde ipsa Ecclesiæ traditio (ut supra vidimus) non solum sanctos coli, sed etiam annotari, et declarari ab Ecclesia pro talibus aperte docet, et primum tamquam de fide tenendum est Ecclesiam posse iudicium ferre de sanctitate personarum, juxta eorum merita, et miracula, aliaque signa ostendentia sanctitatem.

IX. Dubium ergo ad hoc reducitur, an ipsum iudicium, quod Ecclesia profert canonizando sanctum, sit infallibile; et quo gradu certitudinis tenendum sit non posse in ea pontificem errare. Et in hoc præter Wicleph, qui ut refert Thomas Waldensis tomo III de sacramentalibus, cap. cxxii dicebat pontificem posse errare in canonizatione sanctorum, non minus quam alium quempiam hominem, qui ex hoc plane errabat quod non magis pontifici tribuebat, quam cuilibet alteri homini, fuerunt aliqui catholici, qui etsi existiment non esse credendum, quod papa erret in canonizandis sanctis, et ad id agnoscunt veram potestatem in papa, quæ non est in aliis hominibus; tamen absolute non repugnare quod erret in tali actione, nec ad id habere infallibilem assistentiam Spiritus sancti existimant. Ita glossa in capite unico De reliquiis, et veneratione sanctorum in sexto; Felinus in capite Venerabili, de testibus, quem citat Covarruvias infra citandus; Cajetanus in tractatu de indulgentiis, tom. I opusculorum, capite viii; fundamentum glossæ sumitur ex capite A nobis, et II de sententia excommunicationis, ubi aperte di-

citur: « Quod iudicium Dei veritati, quæ nec fallit nec fallitur semper inaititur; iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam et fallere sæpe contingit, et falli. Ex quo desumitur vis argumenti: Quia Ecclesia in declaranda sanctitate hujus hominis in singulari non inaititur sacræ Scripturæ, aut traditioni apostolicæ, vel intelligentiæ sanctorum, sed præcise relationi, et informationi humanæ factæ super ejus vita, et miraculis quæ non excedit limites fidei humanæ; ergo ex vi hujus non repugnat Ecclesiam sequi opinionem, et consequenter falli in tali iudicio, in his enim quæ pendent ex peculiaribus factis Ecclesia non habet infallibile iudicium. Confirmaturque ex illo communi dicto, quod Augustino tribuitur: « Multa corpora honorantur in terra, quorum animæ torquentur in gehenna: » ergo supponit Augustinus non esse certum quod sancti, qui coluntur, et venerantur sint in cælo ita ut oppositum sit error.

X. Altera sententia, per aliud extremum existimat esse de fide papam errare non posse in canonizatione sanctorum, atque ita canonizatione facta esse de fide, quod talis sanctus sit in gloria. Hanc sententiam ita explicite pauci docent, solum enim affirmant communiter esse certum, quod in canonizatione non potest errare pontifex, non vero ita in particulari explicant, quod id sit certum secundum fidem. Id ergo docet expresse Valentia 2-2, disp. I, quæst. I, puncto VII, §. XLI, contra magistrum Cano, et eam sententiam probabilem reputat Torres nuper citatus et recentiores ita sentire dicit. Fundamentum sumitur; tum ex eo, quod aliquando pontifex definit aliquem habendum esse pro sancto, sicut Leo X in bulla canonizationis S. Francisci de Paula fecit; tum,

quia in Concilio Constantiensi, sess. VIII, damnata est quadragesima quarta, propositio Wicleph dicentis S. Augustinum, Benedictum, et Bernardum fuisse damnatos, eo quod amiserint possessiones; tum etiam, quia cultus sanctorum est quædam fidei protestatio, quæ per miracula confirmatur, et pertinet ad legem, seu mores universales Ecclesiæ, quia esset intolerabilis error, ut iudicio Ecclesiæ aliquis non sanctus coleretur pro sancto, et imitandus proponeretur qui esset damnatus: in protestanda autem fide, et his quæ ad ejus protestationem pertinent, et in ferendis legibus universalibus Ecclesia errare non potest secundum fidem; est enim Ecclesia columna, et firmamentum veritatis. Et est sancta secundum universalem statum, quod non esset si in moribus universalibus erraret.

XI. Tertia sententia media, est esse quidem certum papam errare non posse in canonizatione sanctorum, et esse dignum censura, qui oppositum diceret, non tamen esset hæreticus, sed temerarius, impius, et scandalosus, imo et proximus errori, aut sapiens hæresim. Hæc sententia communior est apud recentiores: illam docet Sylvester, verbo canonizatio, citatque pro ea Joannem de Neapoli, quodlibeto XI. Sequitur eam Covarruvias lib. I curiarum, cap. I, num. XIII S. Antoninus III; part. tit. XI, cap. VIII, §. II; Turcremata in tractatu de Ecclesia, quæst. LI; Cano. lib. V de locis, cap. V; Pegna in secunda parte directorii, quæst. XVII, in fine; magister Bagnez, et Torres supra citatus. Et sumitur ex D. Thoma quodlibeto IX, artic. XVI, ubi inquit: « Quod canonizatio est medium inter iudicium papæ de rebus fidei definiendo, et de particularibus factis, ut cum agitur de criminibus, et possessionibus, etc. » Additque: « Quia

tamen honor, quem sanctis exhibemus quædam professio fidei est, quæ sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit. » Ubi illa causalis D. Thomæ sic explicanda est, quod quia canonizatio est iudicium de honore, et veneratione exhibenda sanctis, et talis honor exhibitus, etsi non sit ipsa protestatio fidei, qua credimus gloriam sanctorum in communi, sed quoddam genus protestationis, qua in ipso exercitio specialem alicujus sancti gloriam profitemur, ideo quasi reductive pertinet ad fidem, et consequenter pie creditur, quod non potest in talibus errare pontifex, licet id certo non constet, sed sit medium inter iudicium definiens res fidei, aut sententiens causas particulares. Itaque fundamentum hujus sententiæ ex ipso fundamento censuræ propositæ explicabitur. Dicimus ergo, quod est temerarium oppositum asserere, quia est contra communem intelligentiam, et sensum Ecclesiæ, quæ sanctum canonizatum publice veneratur, et pro sancto habet, ut autem dicit Augustinus epist. cxviii: « Insolentissimæ insaniam est disputare an sit faciendum quod tota Ecclesia facit. »

XII. Et eadem ratione id scandalosum est toti Ecclesiæ, est enim de genere male sonantium, et consequenter scandalosum audientibus. Est etiam impium, quia est contra venerationem, et cultum ipsis sanctis debitum; injuriosus enim est sancto, qui iudicium prolatum a tota Ecclesia de ejus sanctitate non suscipit. Est etiam Ecclesiæ injurio quia ejus universale iudicium non suscipit: et maxime contra honorem Ecclesiæ esset, et ejus vilipendium, quod honoraret pro sancto eum qui esset damnatus. Est etiam proximum errori, et sapiens hæresim; tum, quia tangit proxime

potestatem Ecclesiæ, quam habet ad canonizandos sanctos, secundum fidem; hanc autem maxime labefactare, et tangere videtur, qui errare eam diceret in hac potestate, nam potestas errans, idem est ac si non esset potestas; tum etiam, quia in his quæ pertinent ad leges communes Ecclesiæ, et maxime quæ deserviunt protestationi fidei, si Ecclesia erraret, periret totum regimen ecclesiasticum, quod negare hæresis aperta est. Canonizatio autem sanctorum maxime accedit ad universalem legem, cum toti Ecclesiæ proponatur aliquis ut sanctus, et ad protestandam fidem, quia cultus sanctorum est testificatio gloriæ eorum, ergo proxime ad hæresim accederet, qui id negaret; tum denique, quia cum plures hæretici canonizationes sanctorum irrideant, et abjiciant, qui diceret non esse certas maxime eis faveret, et viam aperiret, ut irriderentur, et abjicerentur, et hoc est maxime sapiens, et approximans ad hæresim. Expresse autem non dicimus esse hæreticum qui id negaret, quia juxta D. Thomam canonizatio est medium inter judicium de rebus fidei, et de factis particularibus, licet hoc medium maxime accedat, et participet extremum de rebus fidei: et quia non est in particulari definitum certo, et expresse, quod talis canonizatio sit definitio fidei, sed solum tamquam inconueniens sequitur ex his quæ sunt de fide, quod in tali canonizatione possit dari error.

XIII. Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur illum textum in capite nobis A loqui de judicio Ecclesiæ quod versatur circa facta particularia, puta circa processus, et lites, et appellationes, et excommunicationes, etc. Canonizatio autem tangit leges communi Ecclesiæ bono deservientes, et protestationem fidei ut dictum est, et ideo judicium

Ecclesiæ in illa errare non potest. Unde ulterius addo non inniti hoc judicium canonizationis testimonio et informationi humanæ, pure et precise sumptæ, sed ordinatæ ad bonum commune Ecclesiæ, et protestationem fidei circa gloriam sanctorum, et ideo speciali providentiæ Dei subditur, ad quem pertinet ne Ecclesia errare possit in tali judicio. Sicut etiam in definiendis rebus fidei requiritur, ut humano modo procedat diligens inquisitio, quæ de se non præstat sufficiens fundamentum definitioni infallibili, bene tamen ut subest directioni Spiritus sancti, ne in rebus fidei, ex defectu sufficientis inquisitionis erretur. Et ita D. Thomas citato quodlibeto dicit, quod pontifex per inquisitionem vitæ, et attestationem miraculorum et præsertim per instinctum Spiritus sancti ei assistentis certificatur de statu alicujus sancti non quod fiat nova revelatio, sed quod fiat assistentia ne in judicio prolato ex tali inquisitione detur error.

XIV. Ad confirmationem respondetur illud dictum in Augustino non inveniri, ut etiam dicit Bellarminus. Sed etsi inveniretur, nihil probat, quia Augustinus, non dicit multa corpora honorari secundum judicium, et canonizationem Ecclesiæ quorum animæ torquentur in gehenna, sed loquitur absolute et consequenter intelligitur sufficienter de his, qui non sunt canonizati, vel etiam de his qui venerantur tamquam sancti in Ecclesia, sed tamquam magni, et illustres viri in sæculo.

XV. Fundamenta secundæ sententiæ probant nostram censuram; ad illud tamen quod dicitur de definitione Leonis in canonizatione S. Francisci de Paula, respondetur definitionem illam non accipi pro definitione fidei, sed largo modo prout est idem, quod determinatio,

seu declaratio in quacumque materia secundum modum definitivæ sententiæ, est enim canonizatio judicium, et sententia definitiva, et ultima circa sanctitatem alicujus, et ejus cultum, et ideo per modum definitionis proponitur. Itaque modum definitionis habet quantum ad rationem sententiæ ultimæ, et non rationem definitionis de fide, et hac etiam ratione dicitur, quod firmiter et fideliter habeatur pro sancto, et ab omnibus firmitate sententiæ ultimæ, et definitivæ in illo genere, non absolute. Ad id vero quod damnavit Concilium Constantiense dicimus, in primis Wiclephum in illo articulo absolute non dicebat illos sanctos esse damnatos, sed quod propter possessiones quas habuerunt esse damnatos, nisi pœnitentiam egissent atque adeo magis ad hoc respicit propositio, ut velit peccasse illos sanctos in habendis possessionibus, quod est hæreticum. Item Concilium non omnes illos articulos damnat, ut hæreticos, quosdam ut temerarios, et scandalosos, ut in ipsa sessione sexta videre est.

XVI. Denique, quod additur pertinere canonizationem ad universales Ecclesiæ leges, et protestationem fidei in quibus errare non potest, respondetur in legibus communibus ferendis pontificem dupliciter procedere: uno modo, quasi speculative, id est, declarando modum alicujus contractus, puta quod sit usurarius, vel simoniacus, etc. alio modo solum practice, id est, ex parte prudentiæ, qua leges feruntur. Primo modo errare non potest, quia involvit dogma doctrinæ, non potest autem pontifex vitiosa dogmata Ecclesiæ proponere in his, quæ facienda sunt. Si autem pure præciendo procedit, non potest quidem pontifex errare in omnibus legibus, seu in toto jure, quod proponit Ec-

clesiæ quasi collective, divisive autem non repugnat, quod in aliqua lege imprudenter procedat. Videmus enim quotidie unius pontificis legem ab eodem, vel ab alio pontifice, etiam iisdem existentibus circumstantiis derogari, alioquin singulæ leges, et capitula juris essent materia de fide. In canonizatione autem Ecclesia nullum dogma doctrinæ determinat in universali, sed solum applicationem facit in singulari determinando hanc personam in particulari esse in gloria, et similiter esse colendam, ut sanctam; talis autem determinatio ex parte cultus exhibendi solum reductive pertinet ad fidem, quia honor exhibendus sanctis est quædam protestatio fidei, ut docet S. Thomas. Et determinatio de gloria hujus personæ applicate, et in particulari non est determinatio doctrinæ, sed applicatio ad singularem personam, et ideo non est directe de fide, sed reductive.

QUID DE PONTIFICE ERGA BEATIFICATIONEM SANCTORUM.

XVII. Quarto quæritur, utrum in beatificatione alicujus sancti non possit pontifex errare, sicut neque in canonizatione. Ratio dubitandi ex una parte est, quia beatificatio non est judicium, et sententia pontificis de sanctitate alicujus, et cultu ei exhibendo, sed solum permissio (ut supra dictum est) ergo non habet infallibilitatem, sicut judicium ultimum, et definitivum. Et confirmatur, quia etiam in rebus fidei sola definitio, et judicium ultimum acceptatur tamquam certum, et infallibile; ergo a fortiori testimonium de sanctitate alicujus solum debet acceptari ut infallibile, quando est ultimum, et definitivum, sicut est

canonizatio, non quando est solum permissio. Et secundo confirmatur, quia post beatificationem fiunt adhuc novæ inquisitiones, et diligentia circa vitam, et miracula alicujus, ut procedatur ad canonizationem; ergo signum est adhuc illud testimonium, seu permissionem datam non esse omnino infallibile iudicium, alias ibi sisteretur, nec ulterius aliquid inquiri opus esset. Ex alia vero parte etiam ratio dubitandi se offert, quia pontifex non potest permittere auctoritate sua, quod Ecclesia habeat intolerabilem errorem, qualis esset si coleret pro sancto et invocaret eum, qui sanctus non est; ergo cum beatificatio sit permissio hujus cultus, videtur quod in tali permissione non possit error aliquis inveniri. Et confirmatur, quia sancti pro irrefragabili argumento habent quod aliquis sit sanctus eo ipso quod Ecclesia celebrat de illo; sed ex vi beatificationis Ecclesia celebrat de aliquo sancto, ergo est irrefragabile, et infallibile argumentum, quod sit sanctus. Antecedens patet, nam hac ratione colligunt sancti esse certum quod beata Virgo fuerit sancta ante suam nativitatem, quia Ecclesia celebrat tale festum, ut patet in S. Ildephonso libro de virginitate Mariæ; Bernardo epistola CLXXIX; S. Thomæ III part. quæstion. XXVII, artic. I, in argumento Sed contra. Ergo hoc ipso quod Ecclesiæ auctoritate permittitur celebratio alicujus, sicut fit in beatificatione, est infallibile quod sit sanctus.

XVIII. Torres ubi supra disput. XVII, dub. VI, idem fere sentit de beatificatione, quod de canonizatione, scilicet esse probabile, quod est de fide pontificem neque in canonizatione, neque in beatificatione errare posse, quia uterque actus pertinet ad materiam religionis in quo pontifex errare non potest Ecclesiæ

proponendo id quod in ea facere licite potest. Et ita inquit multos doctos viros sensisse. Et secundum hanc sententiam canonizatio, et beatificatio substantialiter non differunt, sed in modo accidentali, et solemnitate majori, vel minori. Ipse tamen Torres tenet quod esset impium, scandalosum, et temerarium dicere, quod pontifex posset errare in beatificatione, aut quod anima beatificari non esset in gloria, esse tamen magis temerarium, et magis scandalosum id affirmare de canonizato, et ita solum certitudo canonizati, et beatificati differunt penes magis, et minus intra eandem speciem.

XIX. Nihilominus supposita sententia supra probata, quod beatificatio non sit iudicium de sanctitate alicujus, sed solum permissio, ut possit publice coli, et venerari, existimo pontificem practice errare non posse in tali beatificatione, ita quod esset temerarius, et scandalosus, qui talem celebrationem negaret, aut talem cultum non esse exhibendum. Speculative autem circa veritatem sanctitatis talis personæ existimo, quod ex vi solius beatificationis id non excedit latitudinem certitudinis moralis, et probabilitatis maximæ, ita quod oppositum non esset censura dignum. Et dico ex vi beatificationis præcise, quia ex alio capite, verbi gratia, si accedat assensus totius Ecclesiæ aut majoris partis fidelium multitudo miraculorum facta in confirmationem ejus sanctitatis, et hoc longo tempore sit continuatum, ex parte fiet longe certius, et qui negaret sanctitatem talis personæ cum his circumstantiis esset censura temeritatis dignus.

XX. Ratio quæ me præcipue movet ea est, quia ut Ecclesia publice celebret festum de aliquo tamquam de sancto sufficit probabilitas, et

moralis certitudo de sanctitate ejus, non vero requiritur iudicium, et sententia canonica, ut patet manifeste in celebratione festi conceptionis beatæ Virginis, quod Ecclesia celebrat; et tamen ipsamet Ecclesia præcipit, ne possit ulla censura notari opinio asserens fuisse conceptam in peccato originali; ergo ut Ecclesia habeat iudicium practicum certum de celebratione alicujus sancti non requiritur quod habeat etiam iudicium speculativum certum de sanctitate, sed sufficit moralis certitudo, aut opinio. Item etiam videmus, quod in materia religionis sæpe utitur Ecclesia solum opinione probabili, ut patet in dispensatione matrimonii rati, non consummati; sicut autem votum pertinet ad virtutem religionis, ita etiam et veneratio sanctorum (ut supra declaravimus) ergo permissio, seu dispensatio, ut aliquis veneretur pro sancto non requirit majorem certitudinem, quam moralem de ejus sanctitate.

XXI. Ad hæc D. Thomas III part. quæst. XXIII, art. II ad secundum, ex eo quod Ecclesia Romana suo tempore toleraret celebrationem festi conceptionis dicit eam consuetudinem non esse totaliter reprobendam, nec aliquid amplius infert ex tolerantia talis celebrationis, sed beatificatio est concessio celebrationis de aliquo sancto cum tolerantia sedis apostolicæ (ut supra diximus ex cardinali Thusco) ergo ex vi præcise beatificationis non infertur, nisi quod talis consuetudo non sit reprobanda, non vero quod sit omnino certum, quod persona beatifica sit in gloria, taliter quod oppositum sit censurabile. Et denique veneratio quæ exhibetur beatificatis aliquando fuit permissa fieri ab episcopis in Ecclesia, et tunc certum est quod ad venerationem exhibendam alicui sufficiebat moralis

certitudo, nam episcopi non poterant definire de fide, aut certum reddere, quod illi essent in gloria; ergo de se talis beatificatio non petit nisi moralem certitudinem de alicujus gloria, imo in rigore loquendo permissio celebrandi de aliquo potest stare cum certitudine, quod non sit adhuc in gloria, dummodo constet esse sanctum; sicut permittit Ecclesia, quod celebretur de Elia in ordine Carmelitarum, quem tamen constat nondum esse beatum. Aliud est ergo celebrationem de aliquo permittere, aliud iudicare, et habere pro infallibili, quod sit in gloria.

XXII. Ad rationem factam in oppositum, respondetur pontificem non permittere errorem aliquem in materia religionis, quando permittit celebrari de aliqua, quem juxta moralem certitudinem constat esse sanctum. Nec requiritur quod id constet certitudine infallibili, nam etiam aliqui censent id sufficere de sancto canonizato, ut Cajetanus et glossa supra citata. Et Covarruvias dicit in loco supra allegato, quod etiam si admittatur illa opinio nihil officit certitudini canonizationis, quia iudicium Ecclesiæ fertur supra sanctitatem morali certitudine cognitam. Unde pontifex practice non erat in hujusmodi concessione, quia practica certitudo est prudentialis certitudo, quæ sufficienter fundatur in certitudine morali de eo quod est, vel non est in re circa talem sanctitatem, sicut nec in aliis quæ ad religionem concernunt in quibus ex sola probabili aut morali certitudine ducitur, ut ostendimus. Ad confirmationem respondetur, quod celebratio Ecclesiæ de aliquo potest esse dupliciter: uno modo simul cum iudicio positivo de tali sanctitate, aut assensu universali Ecclesiæ de tali celebratione absolute, et sine aliqua declaratione: alio modo po-